



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 14. Saraceni in Italia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

sis Ecclesiam Nanetensem tot cædibus Sæculum IX.
pollutam ritu Ecclesiastico reconcilia- A.C. 843.
vit.

§. XIV.

Saraceni in Italia.

Eodem tempore, quo Normanni ab Oceano, Mauri seu Saraceni a mari mediterraneo Imperii Francorum littora infestabant. Anno octingentesimo quadragesimo secundo, adverso Rhodano advecti prope Arelatem e navibus descendunt, omnia diripiunt impune, navesque opimis prædis onustas in mare impellunt. In Italia dum Lotharius Imperator ultra Alpes contra fratres bellum movet, Radelgisus & Siconulfus de Ducatu Beneventano rixantur, cumque Radelgisus Saracenos ex Africa, & Siconulfus ex Hispania ad ferendum auxilium advocasset, & hi & illi in potestatem reductis compluribus civitatibus plurimos captivos avexerunt. Ut haberet, unde conductis ex Hispania Saracenis stipendia daret Siconulfus ad montem Casinum venit anno septimo Abbatis Bassatii, reparatæ salutis octingentesimo quadragesimo tertio, & thesauros prope omnes, quos Reges Francorum Pipinus, Carolomannus, Carolus Magnus & Ludovicus pius eo congefserant, abstulit. Ut primo venit, Cruces complures, cali-

Ann. Bert.
842. *Nith.*
lib. 4. sub fin.
Erehamp.
ign. Casin.
Chron. lib. I.
c. 25.

c. 26.

Sæculum IX.
A. C. 843.
 ces, patenas, coronas, aliaque vasa centum triginta libras auri exæquantia cum multis aliis Ecclesiæ ornamentis abstulit, promisitque se in compensationem mille solidos Siculi ponderis redditurum. Ut secundo venit Siconulfus, trecentas sexaginta quinque libras argenti, solidorum aureorum millia quatuordecim & complura vasa argentea avexit. Tercio post elapsum spatium octo mensium res ex argento fabricatas quingentis libris æstimas exegit. Inde vix decem menses effluxerant; iterum adest quarto, & effracto Monasterii vestiario solidorum millia quatuordecim rapit, quæ ipsius nomine se reddituros esse Leo Episcopus & duo alii Dynastæ jurejurando polliciti sunt; quod cum deinde præstare nequissent, fundum possidendum Monasterio tradiderunt. Quinto & sexto irrumpens quatuor solidorum millia asportavit, & tandem septimo coronam auream Smaragdus distinctam a parente suo donatam, & tribus solidorum millibus æstimatam, adimi jussit. Inde pronum est conjicere, quantæ fuerint hujus Monasterii divitiæ.

§. XV.

*Gregorii IV. obitus. Sergius II.
 Papa.*

Anast. Gregorius quartus ineunte anno sequen-